

Ætas rerum
vita carcentiam.

β) *Quod si viventia æterna non sunt, idem quoque dicendum est de non viventibus.* Primo quia nullum est argumentum naturale postulans æternam creationem materiæ inanimatæ, utpote quæ certe non eguit æterna duratione ad hoc, ut præpararetur ad recipienda viventia. Tum etiam quia si viventia, quæ longe perfectiora sunt non viventibus, temporanea sunt, non decuit absque ulla necessitate materiam inanimatam ab æterno existere.

Confirmatur 2.^o propositio alijs argumentis congruentiæ
α) Primum quia consonum esse videtur, ut creaturæ non æquarent duratione Creatorem. β) Deinde temporanea creatione magis innotescit libertas Dei in creando. γ) Ita etiam magis apparet Deum nullius egere, sed sibi plenissime sufficere. δ) Denique hoc pacto eripitur atheis omnis occasio fingendi mundum ens a se et improductum: si enim semper non fuit, nimis profecto liquet non potuisse illum esse a se, verum causa indignisse, a qua crearetur, et quiddam habet entitatis et perfectionis et virium, legumque acciperet (1).

ARTICULUS III.

An potuerit mundus ab æterno creari.

Perperam
dicuntur
Scholastici cæcæ
Aristotelem
tamquam
servam pecus
securi esse.

82. Hæc una illarum quæstionum est, quæ manifeste probant, quam vanum sit crimen illud Scholasticis impositum, quod Aristotelis auctoritate tamquam servile pecus abripi cæcæ se sinerent. Propugnauerat Philosophus necessitatem æternæ creationis; Scholastici autem non solum eandem tamquam Fidei inimicam excluserunt, non solum mundum de facto conditum in tempore fuisse docuerunt, verum etiam ipsam possibilitatem æternæ creationis in dubium revocarunt. Qua in controversia multi, iique gravissimi Doctores negarunt mundum ab æterno creari potuisse: hæc est opinio

(1) Vide S. Thom. (*Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 35), et Benedictum Pererium (*de communibus principijs* etc. lib. 15 in proœm.), Rubitum (*Physic.*, lib. 8, quæst. 1, n. 13), Suarez (*de Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 2, n. 22).

Alberti M. (1), S. Bonaventuræ (2), Guillelmi Parisensis (3), Richardi (4), Henrici Gandavensis (5), Marsilli (6), Eugubini (7) aliorumque: quorum postea secuti sunt vestigia Card. Toletus (8), Gregorius de Valentia (9), Tanner (10), Rhodus (11), Petavius (12), ac Sylvester Maurus (13), et recentioribus temporibus Tongiorgi (14), cl. Palmieri (15), cl. Pesch. (16), cl. Lahousse (17), et cl. Van der Aa (18). Et pro hac sententia multa Patrum testimonia congeri solent, quæ longo ordine exposita videri queunt potissimum apud Petavium. Alia vero est opinio tenens aut non repugnare aut certe non demonstrari repugnantiam æternæ creationis: quam sequuntur S. Thomas (19), Durandus, Argentinas, Gregorius, Ockamus, Gabriel, Aegidius, Hervæus, Hispanensis (20), et communiter Thomistæ cum Capreolo (21), Soncinate (22), Javello (23), Cajetano (24), Ferrariensi (25), Dominico Soto (26),

Varie
Doctorem
sententiæ:
prima,

secunda,

- (1) 2.^o dist. 1, art. 6 et 10; *Physicor.*, lib. 8, cap. 1.
- (2) 2.^o dist. 1, art. 1, quæst. 2.
- (3) Lib. 1 de *Universo*.
- (4) 2.^o dist. 1, art. 3, quæst. 4.
- (5) *Quodlib.* 1, quæst. 7.
- (6) 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 2.
- (7) *De perenni Philos.*, lib. 7.
- (8) *Physicor.*, lib. 8, quæst. 2.
- (9) In 1.^{am} part. disp. 3, quæst. 13, punct. 2.
- (10) Prim. part. disp. 6, de *Creat. mund.*, quæst. 1, dub. 3.
- (11) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 7, quæst. 3, sect. 1, 2, 3.
- (12) *Theologicor. Dogmat.*, t. 1, lib. 3, cap. 6.
- (13) *Question. Philos.* vol. 2, lib. 3, quæst. 1.
- (14) *Cosmolog.*, n. 286.
- (15) *Cosmolog.*, thes. 31.
- (16) *Philos natur.*, n. 533.
- (17) *Cosmolog.*, n. 541.
- (18) *Prælect. philosophicar.*, vol 3; *Theolog. natur.*, propos. 58.
- (19) 1. part. quæst. 46, art. 2; de *Potent.*, quæst. 3, art. 14, *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 38, 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 3; *Opusc. de Æternitate mundi contra murmurantes*.
- (20) Apud Suarez, Conimbricensis etc.
- (21) 2.^o dist. 1.
- (22) *Metaph.*, lib. 12, quæst. 31.
- (23) *Metaph.*, lib. 2, quæst. 14.
- (24) In 1.^{am} part., quæst. 40, art. 2.
- (25) *Physicor.*, lib. 8, quæst. 3.
- (26) *Physicor.*, quæst. 2, in lib. 8.^o

Joanne a S. Thoma (1), Goudino (2), Cosma de Lerma (3), aliisque apud Complutenses, et Scotistæ communius (4), et Complutenses Carmelitani (5); itemque Nostrates cum Eximio Doctore (6), Vazquez (7), Molina (8), Conimbricensibus (9), Benedicto Pererio (10) et Rubio (11), quos sequuntur Martinon (12), Oviedo (13), De Benedictis (14), Soarez Lusitanus (15), et alii plures, quibus adstipulantur e recentioribus cl. P. Mattheus Liberatore (16), cl. P. Sanctus Schiffini (17), et cl. P. Josephus Mendive (18). Hi omnes in eo conveniunt, quod non repugnet vel non ostendatur repugnantiæ creationis æternæ, saltem quoad aliquod genus entium; disputant autem utrum creatio dari ab æterno potuerit quoad omnia entium genera. Multi affirmant quod entia permanentia, et negant quoad successiva, v. g. quoad generationes et successiones et quoad motum ac tempus: ita Durandus (19), Dominicus Sotus, Molina Suarez, Conimbricenses, Rubius, Soarez Lusitanus, Joannes a S. Thoma, Goudin, Mastrius, Frassen aliique multi. At alii non pauci, ut Vazquez, Pererius, De Benedictis, Pontius, et Complutenses, qui multos alios præterea pro se laudant, existimant non repugnare

que in duas
alias mox
scinditur.

- (1) *Physic.*, quæst. 24.
- (2) *Physic.*, secund. part., quæst. 1, art. 4.
- (3) *Curs. Philos.*, tom. 3, lib. 8, quæst. 2.
- (4) Vide Mastrium, (*Physicor.*, disp. 14, quæst. 1), Pontium, (tom. 2, disp. 21, quæst. 4), Frassen, (*Physicor.*, text. part., quæst. 2).
- (5) *Physic.*, disp. 29.
- (6) Disp. 20. *Metaphys.*, sect. 6; *de Oper. sex dies.*, libr. 1, cap. 2.
- (7) In 1.^{am} part., disp. 177.
- (8) In 1.^{am} part., quæst. 46, art. 2.
- (9) *Physicor.*, libr. 8, cap. 2, quæst. 6, art. 2.
- (10) *De communibus princip.* etc., lib. 15, cap. 13.
- (11) *Physicor.*, libr. 8, quæst. 2.
- (12) *De Deo*, disp. 66, n. 33.
- (13) *Physic.*, Controv. 19, penect. 1.
- (14) *Philos. perip.*, tom. 3, libr. 1, quæst. 1, cap. 2.
- (15) *Metaphys.*, tract. 7, disp. 2, sect. 1, paragr. 10 seqq.
- (16) *Cosmolog.*, n. 46.
- (17) *Disputationes Metaphysicæ specialis*, vol. 2, n. 544.
- (18) *Cosmolog.*, n. 248 seqq.
- (19) Hic tamen solum quoad permanentia incorruptibilia tenuit hanc sententiam, ut videre est apud Suarez (*Metaph.*, loc. cit., n. 15).

creationem etiam quoad entia successiva et generationes. Quamnam duarum istarum opinionum tenuerit S. Thomas, si scire cupias, varie respondent auctores diversis S. Doctoris verbis innixi. Quamvis enim proponat in quibusdam locis solutiones argumentorum, quæ contra ætertram creationem tum rerum permanentium tum successivarum obijciuntur; alias tamen non vult concedere, quod potuerint humanæ generationes ab æterno esse, propterea quod secus daretur actu infinita multitudo animarum: immo et expresse aliquando negat se agere de creationis æternæ possibilitate universaliter et respectu omnis generis entium (1). Quare ipsi Thomistæ divisi sunt in Aquinatis vera mente interpretanda (2). Illud autem credo penitus falsum et absque ullo fundamento a claro quodam scriptore nuper assertum, possibilitatem creationis æternæ a S. Thoma et Thomistis studio non discedendi ab Aristotele fuisse propugnatam. Immo vero ipsemet Angelicus aperte innuit, se non Aristotelis amore vel reverentia, sed honore catholice veritatis in propugnanda sua sententia duci, ne scilicet quis pro demonstrativis habendo rationes, quæ demonstrativæ non sunt, sed tantum probabiles, præbeat materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere, quæ Fidei sunt (3).

83. PROPOSITIO 1.^a Non videtur absolute repugnare æterna creatio entium permanentium.

Prob. 1.^o Si creatio ab æterno entium permanentium absolute repugnaret, ea impossibilitas repetenda esset vel ex parte Dei creatantis, vel ex parte ipsius termini, vel ex parte creationis. Atqui non ex parte Dei. Nam Deus semper est æque potens, nec unquam virtutem effectivam novam assequi potest; cum in Deo virtus et potentia sit ipsa ejus essentia. Ergo si in tempore potuit creare, ac porro creavit, potuit etiam, quantum est de se, creare ab æterno. Neque etiam ex parte termini, quia res non cæperunt in tempore esse

Non videtur
intrinsece
repugnare
creatio æternæ
entium
permanentium.

- (1) Vide 1. p. quæst. 46, art. 6 ad 8.^{um}
- (2) Vide v. g. Joannem a S. Thoma et Complutenses loc. cit.
- (3) S. Thom. 1. p. quæst. 46, art. 2 fin. corp. Cfr. 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 5; lib. 2.^a *Contr. Gent.*, cap. 38.

intrinsece posibles; neque adhuc excogitatum est ullum argumentum, propter quod res permanentes non potuerint, si Deus voluisset, ab æterno existere, quemadmodum patebit ex solutione difficultatum. Neque demum ex parte ipsius creationis, quia creatio est actio instantanea, quæ nullum motum nec successione implicat. Verum hæc probatio positiva neque evolveri convenienter neque confirmari potest, nisi explicatione argumentorum, quæ contra æternam rerum permanentium creationem fieri solent. Itaque

Excluditur
repugnantia
æternæ
creationis partem
ex parte Dei;

Prob. 2.^o negative 2) Ex parte Dei creantis triplex afferri potest repugnantia. Primo, quod effectus nequeat esse causæ coævus. Secundo, quod si Deus non præcederet creatam rem duratione, non esset secundum eam perfectior ac superior creatura. Tertio, quod si Deus ab æterno crearet, non posset salva remanere libertas divina ad creandum vel non creandum: non enim ante ipsam actualem creationem, quia ante æternitatem nihil esse potest; nec in ipso actu creationis, quia non poterat creare simul et non creare; nec demum post creationem, quia post factum non datur amplius potentia ad non faciendum. Accedit, quod cum Deus agat ex electione, videtur debere duratione præcedere suum effectum.

Atqui evidens est hæc argumenta vim non obtinere. Primum enim constat ex dictis falsum esse: nam quamvis causa sit prior natura effectui, necesse tamen non est, ut sit prior etiam duratione; sed si causa sit ab ipso exordio suæ existentie virtute prædita, poterit illico agere, ut constat in igne, qui statim emittit splendorem. Quo exemplo declarat S. Augustinus (1) posse Filium a Patre productum esse simulque eidem coæternum, sicut *splendor, inquit, qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus est igni, et esset ei coæternus, si ignis esset æternus*. Quæ est etiam doctrina S. Thomæ: *Quod... primo dicitur, agens de necessitate præcedere effectum, qui per suam operationem fit, verum est in his, quæ agunt aliquid per motum, quia effectus non est nisi in termino motus; agens autem necesse est esse etiam, quam motus incipit; in his autem, quæ in instanti agunt, hoc non est necesse;*

(1) Lib. 6 de Trinit., cap. 1.

sicut simul, dum sol est in puncto orientis, illuminat nostrum bemisphærium (1).

Alterum etiam manifeste falsum est; quia æternitas Dei est per essentiam, creaturæ autem æternitas esset per participationem; deinde æternitas Dei est prorsus necessaria, immo Deus est sua æternitas, at æternitas creaturæ ab æterno productæ foret pure gratuita et contingens: denique æternitas Dei est plena et universalis, ut ita dicam, et prorsus immutabilis possessio vitæ, qualis certe non posset esse æternitas creaturæ. Id quod fuse dudum declaraverat Severinus Boëtius: *Non recte quidem cum audiunt visum Platonum mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud enim est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est* (2). Ergo etiamsi creatura aliqua ab æterno produceretur, non ideo esset Deo par in duratione, sed longe inferior.

Tertium denique si verum foret, neganda esset non solum creationis æternæ, sed etiam actus liberi in Deo possibilitas. Certum enim est actus et decreta libera, salva sincerissima immutabilitate divinæ naturæ, esse non posse nisi ab æterno. Argumentum itaque contrarium, si quid probaret, ipsum divinæ libertatis dogma certissimum excinderet. Libertas ergo Dei in ipso actu creationis æternæ constare post; quia ita Deus ab æterno crearet, ut posset etiam non creare: sicut de facto ita ab æterno voluit mundum creare in tempore, ut potuerit non velle quemadmodum suo loco declarabitur. Nec vero ad libertatem in actu ipso creationis salvandam requiritur, quod possit simul creatio et non creatio conjungi: sicut quod scriptio hæc mea vel cogitatio sit libera, nullatenus postulat me posse simul habere actum scribendi vel cogitandi, et ejus carentiam.

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 38.

(2) Boët de *Consolat. Philos.* lib. 5, pros. 6. Cfr. S. August. de *Civitate Dei*, lib. 12, cap. 15; S. Thom. *Opus. de Æternitate mundi*, vers. fin.; 2.^a dist. 1, quest. 1, art. 5, ad 7.^{am} eorum, quæ in contrarium.

Ad illud autem, quod dicebatur, supposita æterna creatione Deum non potuisse antecedenter ad illud actum gaudere libertate non creandi; vera est propositio si sermo sit de præcedentia durationis, falsa si de præcedentia originis et ordinis. Nam in ipsa æternitate prius est origine quodammodo et ordine Deum esse objective indifferentem ad creandum vel decernendum creare, quam eligentem creationem, vel quodlibet aliud libere decernentem. Secus enim intelligi non posset, quomodo Deus libere ageret, et non prorsus necessario. Illud denique quod de electione adiciebatur, nihil est. Electio enim solum in ente potenciali, mutabili et discursivo, quod eget deliberatione, successionem actuum habet, ac temporis moram requirit; nulla autem huiusmodi imperfectione vitiat in ente actualissimo et immutabili.

et ex parte
termini creabilis;

3) **Ex parte termini** deinde videtur æterna creatio repugnare. Nam omni creaturæ de se atque essentialiter convenit non esse, ut passim ab omnibus dicitur. Jam vero nulli creaturæ convenit non esse tum, cum actu est, secus enim esset simul et non esset; neque etiam entibus incorruptibilibus convenit non esse, postquam sunt, quia exigunt semper esse. Ergo reliquum est, ut id, quod dicitur, omni creaturæ de se atque essentialiter convenire non esse, intelligendum sit de aliqua duratione reali, antequam creetur: atque adeo nulla creatura potest ab æterno esse. Præterea si ens aliquod ab æterno crearetur, esset infinitum in duratione ac virtute, ac proinde etiam in ipsa essentia. Tertio testante Aristotele, quidquid æternum est, necessarium est. Ergo si quod ens ab æterno esset, eo ipso desineret esse contingens, et fieret necessarium ac tale, quod ne per omnipotentiam quidem Dei posset per æternitatem annihilari: quod infinite virtutis divinæ injuriosum est. Et probatur antecedens. Nam ens æternum nequit per æternitatem in nihilum verti, atque adeo necessarium est in existendo. Sane si posset ens tale per æternitatem annihilari, vel existeret infinita duratione antequam destrueretur, vel infinita. Si infinita, jam verum est, quod non annihilatum fuit per æternitatem, siquidem duratio infinita duratio æterna est. Si finita, falsum est, quod ab æterno creatum fuisset; nam si ex quo creatum est usque ad annihilationem, solum interfuit duratio finita, non potuit

præcedere æternitas. Et simili modo probari posset creaturam, si ab æterno crearetur, immutabilem fore.

Verum neque hæc quidpiam valent ad æternæ creationis quoad entia permanentia demonstrandam repugnantiam. Primum enim quod dicebatur creaturæ omni de se convenire non esse, hoc unum in sano sensu significat, creaturam non habere in se rationem sufficientem sui *esse*, ac proinde ab alio *esse* accipere debere; quod si non accipiat, sed sibi relinquatur, ne punctum quidem temporis posse existere. Id autem verissimum est, non solum quando creatura nondum existit, sed etiam cum actu existit; nec ut verum sit, requiritur, ut prius ab æterno non extiterit, sed æque verum foret, si ab æterno extitisset, ut per se patet. Ad secundum negatur sequela. Nam infinitas durationis non arguit infinitatem sive in essentia sive in virtute ipsius rei durantis ex donatione et conservatione causæ primæ, sed tantum infinitatem causæ ab æterno creatis et conservantis: duratio enim illa non est ex propriis meritis, sed ex puro beneficio Dei, magis adhuc quam æterna conservatio in *esse* a parte post substantiarum incorruptibilium et immortalium: siquidem hæc postquam semel create sunt, exigunt quodammodo conservari in æternum; at nihil exigit esse *ab* æterno, præter Deum, ens necessarium. Tertium denique, quod in contrarium adducebatur, ambiguum est, nam quidquid est essentialiter æternum, profecto est etiam necessarium; at vero id, quod non est æternum nisi per participationem, solum est necessarium ex suppositione, et in hoc etiam sensu non potest annihilari nisi in tempore: id quod injuriosum dici Deo nequit. Nam sicut injuriosum Deo non est, quod rem in eodem instanti, in quo supponitur existere, non possit in nihilum redigere, ita injuriosum non est, quod rem, quam sine initio durationis creavit, nequeat perimere usque ad tempus; id enim non ex defectu potentiæ in Deo evenit, sed ex rei in seipsa repugnantia: quoniam si res ab æterno producitur, et ab æterno etiam destruitur, ab æterno simul est, ac desinit esse. Et simili modo res ab æterno creata non foret ex natura sua intrinseca immutabilis, sed tamen extrinsece maneret immutata per infinitam durationem propter argumentum factum. Quod vero id, quod ex sua propria natura mutabile est, de

facto nequeat mutari propter extrinsecum aliquid impedimentum, nihil profecto absurdi continet.

Item ex parte
ipsius creationis.

γ) *Demum ex parte ipsius creationis* hæc præcipue incommoda consequi videntur. Creatio est productio rei ex nihilo, nempe transitus de non esse ad esse. Atqui transitus de non esse ad esse, requirit prius rem non esse, ac postea esse. Sane quod semper est, quomodo dici potest transire ad esse? Ergo repugnat in terminis creatio æterna. Præterea creatio versatur inter esse et non esse; nam per illam fit, et est res, quæ aliter non esset. Atqui esse et non esse contradictorie opponuntur, atque adeo simul esse nequeunt. Ergo creatio necessario requirit rem, quæ creatur, prius non esse, ac postea esse, ac proinde nequit esse æterna. Deinde repugnat productio sine principio. Principium autem importat initium durationis. Ergo creatio, utpote quæ productio quedam est, requirit durationis initium, et consequenter necessario temporanea est. Item si quid Deus ab æterno creasset, non posset creatio a conservatione differre. In hoc enim differt creatio a conservatione, quod creatio importet novitatem essendi, seu quod res tunc incipiat esse. Atqui si creatio æterna est, nunquam incepit esse, sed semper fuit. Ergo si creatio detur ab æterno, nequit a conservatione distingui: quod falsum est, et contra communem sensum.

Sed iterum argumenta ista rem non demonstrant. Et primo quidem creatio est productio rei ex nihilo, videlicet ex nulla præsupposita materia, ut omnes interpretantur. Non autem perinde est ex ipsis terminis rem produci absque ulla materia, et rem prius in aliqua duratione reali non fuisse, et postea esse accepisse. Immo vero datur veri nominis productio, nempe in divinis, quæ necessario est æterna, nec tamen potest ullo sensu præsupponere rem prius non fuisse: tales sunt processiones divinarum personarum. Apposite S. Thomas: *Ad rationem creationis pertinent duo: primum est, ut nihil præsupponat in re, quæ creari dicitur. Secundum est, ut in re, quæ creari dicitur, prius sit non esse, quam esse, non quidem prioritatem temporis vel durationis, ut prius non fuerit, et postmodum sit, sed prioritatem naturæ, ita quod res creata si sibi relinquatur, consequatur non esse, cum esse non habeat, nisi ex influentia causæ superioris. Prius enim unicuique inest*

naturaliter quod non ex alio habet, quam quod ab alio habet. Et ex hoc differt creatio a generatione æterna: sic enim non potest dici, quod Filius Dei si sibi relinquatur, non habeat esse, cum recipiat a Patre illud idem esse, quod est Patris, quod est esse absolutum, non dependens ab aliquo... Si autem accipiamus tertium oportere ad rationem creationis, ut scilicet etiam duratione res creata prius non esse, quam esse habeat, ut dicatur esse ex nihilo, quia est tempore post nihil, sic creatio demonstrari non potest... sed per fidem supponitur (1). Itaque negatur Major argumenti primi, donec ab adversariis probetur, quia petit principium.

Ad secundum eadem esto responso. Creatio quidem concipitur a nobis ut quiddam medium inter esse et non esse, ita ut per illam creatura esse accipiat post non esse; ac talis etiam de facto est creatio, quia Fide certum est nihil Deum creasse ab æterno. Verum onus incumbit adversariis probandi, quod creatio id ex suo conceptu ac ratione requirat, ut res prius in aliqua reali duratione non fuerit. Tertium argumentum ambiguitate laborat. Verum namque est omnem productionem egere principio saltem originis; falsum autem est, quod repugnet productio sine principio durationis, sicut constat iterum in divinis processioibus, quæ sunt veri nominis productiones æternæ absque ullo initio vel principio inceptionis secundum durationem (2). Ad postremum responderi potest cum Suarez «nullum esse inconveniens concedere rem creari actione, qua conservatur... Deinde dicitur, etiam in creatione æterna posse ratione distingui creationem a conservatione. Ut enim illa creatio dicitur esse absoluta in ipsa æternitate, ut simplex participatio esse creati, habet rationem creationis; ut vero in illa concipimus quamdam successionem imaginariam, sic pro quolibet instante signato talis successionis habet rationem conservationis. Quod fere eodem modo apprehendimus in æterna Verbi generatione. Ut enim est in sua æternitate, est vera productio et generatio; ut vero

(1) S. Thom. 2.^a dist. 1. quæst. 1. art. 2. Cfr. de Potent., quæst. 3. art. 14. ad 7.^{am} et 10.^{am}; Opusc. de Æternit. mundi, Nunc restat videre.

(2) Vide S. Thom. de Potent., quæst. 3. art. 4. ad 8.^{am}

intelligitur cœxistens instantibus nostri temporis aut imaginariis, est, ut ita dicam, permanentia quædam in eadem generatione, nomen enim *conservationis*, quod imperfectionem denotat, illi tribuendum non est» (1). Quæ cum ita sint, in hunc modum concludit Angelicus: *Sic ergo patet, quod in hoc quod dicitur aliquid esse factum a Deo, et nunquam non fuisse, non est intellectus aliqua repugnantia. Si enim esset aliqua repugnantia, mirum est, quomodo Augustinus eam non vidit; quia hæc efficacissima via esset ad improbandam æternitatem mundi; cum tamen ipse multis rationibus impugnet æternitatem mundi in 11.^o et 12.^o de Civit. Dei. Hanc autem unde omnino prætermittit? Quis immo inmere videtur, quod non sit ibi repugnantia intellectuum, unde dicit 10.^o de Civit. Dei, cap. 31 de Platonicis loquens: Id quomodo intelligant, viderint non esse hoc temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes semper ex æternitate fuisset in pulvere, semper ei subsesset vestigium, quod tamen vestigium ex calcante factum nemo dubitaret; nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset. Sic, inquiunt, et mundus et dii in illo creati semper fuerunt, semper existente eo, qui fecit, et tamen facti sunt. Nec unquam dicit (S. Augustinus) hoc non posse intelligi, sed alio modo procedit contra eos... (2).*

Dices. Patres ac Doctores Ecclesiæ, quorum longo ordine testimonia scripta legere licet apud Gregorium de Valentia (3) et Petavium (4) sæpe adversus Arium, qui Verbum divinum creaturam esse blasphemæ effutiebatur, disputantes, erroris illum ex eo arguebant, quod Verbum æternum sit. Atqui argumentatio ista valere nequit, nisi ponatur nullam creaturam ab æterno esse posse. Ergo verum non est Sanctos Patres repugnantiam æternæ creationis non vidisse.—Respondendo, Patres sæpe numero locutos esse ex suppositione Fidei, quæ docet nihil ab æterno creatum esse, id quod non negabant Ariani. Quo posito egregie poterant argumentari

(1) Suar. disp. *Metaph.* 20, sect. 6, n. 20. Cfr. Bened. Pereira, *de Communib. principis etc.*, lib. 15, cap. 13 ad 4.^{um}

(2) S. Thom. *Opusc.* cit.

(3) *Loc. cit.*

(4) *Theologicor. Dogmat.*, vol. 1, lib. 3, cap. 6.

Patres, divinitatem Verbi ex ejusdem æternitate concludentes, quin ipsam quæstionem philosophicam de absoluta æterna creationis possibilitate aggredierentur, hoc fere pacto: Quidquid æternum est, creatura esse nequit, nempe supposito facto temporaneæ creationis, quod Fide docemur. Atqui Verbum est æternum. Ergo Verbum creatura esse non potest. Alias etiam loqui potuerunt excludendo a creatura æternitatem propriam et essentialem atque immutabilem (1), quemadmodum superius explicuimus ex Bœtio (2). Si quis autem locus adducatur, in quo ex ipso creationis conceptu aliquis Pater concludere nitatur æternæ creationis repugnantiam evincere, alios Patres opponemus, ac nominatim S. Augustinum, quem perperam quidam in contrarium adducunt, et S. Thomam, qui talem repugnantiam perspicere nequiverunt. Frustra ergo sibi blanditur Petavius fore, ut contra sentientes, a se *deducti* ex Patrum testimoniis, *errorem suum deponant*. Verum plura de his dabunt superius laudati veteres scriptores.

84. PROPOSITIO. 2.^A Probabilius videtur entia successiva, quales sunt generationes et motus ac tempus, non potuisse esse ab æterno.

Prob. 1.^o Enti successivo essentialiter esse habere prius ac posterius in duratione. Atqui quæ sunt æterna, prius et posterius excludunt. Nam æternitate nihil prius fingi potest aut antiquius, et quod alio posterius est duratione, æternum esse nequit. Ergo quoniam successivum essentialiter componitur ex priori et posteriori, æternum esse non potest. Verbo, quæcumque sunt æterna, simul sunt. Sed ens successivum repugnat totum simul esse. Ergo etiam repugnat ab æterno esse. Et simili modo probari potest motum vel tempus ab æterno esse, quia hæc essentialiter successiva sunt, ac fluxu partium constant.

Entia
successiva
nequunt ab
æterno creati.

(1) Vide v. g. S. August., *de Civit. Dei*, lib. 12, cap. 15; lib. 8, *super Genes.* cap. 23.

(2) Vide S. Thom. (*Opusc.* cit. vers. fin.; *de Potent.* q. 3, art. 14, ad 1.^{am} et 2.^{am}), Suarez, (*disp. Metaph.* 20, sect. 6, n. 21), Joan. a S. Thom. (*Physic. quest.* 24, art. 1, fin.), Rubium (*Physicor.* lib. 8, quæst. 2), etc.

Respondent 1.^o Adversarii, quæ sunt ab æterno solum excludere prius et posterius certum et assignabile, non tamen incertum et non assignabile. Poterit ergo successio æterna esse, dummodo talis sit, quæ nullas habeat partes assignabiles ita priores aut posteriores, ut ante illas non habeat alias priores et posteriores.—**Verum responsio hæc** jam præoccupata manet argumentatione superius facta; et declaratur amplius in hunc modum. Nam ipsis etiam fatentibus adversariis, in successione datur aliquid prius et posterius, saltem incertum et non assignabile. Ergo «aut illud *posterius* est simul cum *priori*, aut non est simul, sed post illud. Si dicas esse simul: ergo non est posterius. Vides implicantiam? Si dicas non esse simul, sed posterius. Ergo non est æternum, siquidem non est simul cum æterno. Sed neque *prius* est æternum. Nam aut distat a *posteriori* distantia finita: æternum autem distat a non æterno distantia infinita, est enim æternum infinitum in duratione, at vero infinitum distat a finito distantia infinita. Aut distat distantia infinita: et tunc quomodo continuatur cum posteriori, si inter unum et aliud mediat æternitas? Adde, quod parum refert, quod ipsum sit æternum; nam successio non constat ex illo solo, sed formaliter includit *prius* et *posterius*. Satis ergo est, quod *posterius* non sit æternum: ad hoc, ut successio æterna esse non possit» (1).

Respondent 2.^o Non minus repugnat successio æterna a parte post, quam successio æterna a parte ante. Atqui non repugnat successio sine fine in æternum seu a parte post. Ergo neque repugnabit successio sine initio ab æterno vela parte ante.—**Sed neg. Major.** Nam successio *ab æterno* supponit extitisse de facto aliquid prius et posterius æternum seu infinitum secundum durationem; sed successio *in æternum* non supponit de facto extitisse, neque unquam esse exiturum prius et posterius æternum, sed tale, quod actu quidem semper sit finitum, sed in indefinitum continuo augeat.

Dices. Si hoc argumentum valeret quidpiam, probaret simili modo repugnare creationem æternam etiam entium permanentium. Nam etiam duratio talium entium successiva

(1) Soares lusitan., *Metaph.*, tract. 7, disp. 2, sect. 2, § 12, n. 310.

est, in qua proinde distingui possunt instantia alia post alia. **Resp. neg.** assertum et probationem. Jam enim alibi probatur durationem entis permanentis successivam non esse (1).

Prob. 2.^o Impossibile est seriem generationum esse ab æterno. Nam repugnat series generationum, quæ non procedat ab aliquo individuo, quod immediate productum sit a Deo solo. Hoc autem posito, nequit generationum series ab æterno esse.

Major constat ex eo principio, quod in Theologia naturali magis evolvetur, quod nempe in omni collectione plurium effectuum, nisi velimus aliquem eorum sui ipsius, vel proxime vel remote, causam esse, ratio sufficiens quærenda sit in aliquo ente extra ipsam collectionem, quod vel omnes illos immediate gignat, vel saltem unum illorum, unde series generationum ad cæteros producendos procedat. Vide interea Suarez fuse principium istud exponentem (2).

Minor probatur. Si enim tota series generationum procedit ab aliquo progenitore, immediata Dei actione producta, necessario sistendum est in aliqua prima generatione, «quæ æterna non fuerit, neque ab illa usque ad ultimam præcesserint generationes infinitæ a parte ante... Probatur hoc, quia necessario perveniendum est ad aliquam generationem factam ab homine v. g. non genito ab alio, sed immediate producta a Deo... Vel igitur homo ille factus est ab æterno, vel in temporis initio. Si in tempore, tollitur productio æterna. Si vero ille creatus ponatur ab æterno, necesse est, ut inter creationem illius et generationem prolis ab ipso productæ, æternitas quædam et infinita duratio imaginaria seu objective possibilis successive præcesserit. Ergo necessario danda est prima generatio propria in tempore facta. Minor probatur facile, quia homo creatus (a Deo immediate) et alius ab illo genitus non possunt esse simul duratione, quia generatio hominis non fit in instanti. Ergo necessario homo generans et non genitus antiquior est a se

(1) Cfr. *Ontolog.*, num. 365, pag. 1057.

(2) *De Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 2, n. 11 seqq. Idemque fuse probatur Joan. B. de Benedictis, licet contrarie opinionis, ostendens argumentum istud perperam a quibusdam solvi negatione hujus principii. Vide *Philos. perip.*, t. 3, lib. 6, q. 1, cap. 4, paragr. 2.

genito. Ergo præcedit duratione: ergo æternitate, si ab æterno ponitur creatus». Quæ ratio æque procedit, sive unus tantum homo sive plures in quocumque numero ponantur ab æterno creati, quia eadem proportione, si omnes genuerunt, in tempore genuerunt; ac proinde generationum successiones ab hominibus illis manantes, in numero tantum finito esse poterunt, nec potuit illa series seu successio esse æterna quoad ipsas generationes» (1).

Confirmatur. Nam corruptiones non possunt esse ab æterno. Ergo nec generationes. Consequentia liquet ex illo prologoio, de quo inferius dicitur: *Generatio unius corruptio alterius*; generari enim nequit novum corpus, nisi corrupto priori. Antecedens vero probatur. Quia cum impossibile sit rem esse, et corrumpi in eodem instanti, corruptio essentialiter posterior est etiam duratione existentia rei corruptæ. Atqui quod essentialiter duratione posterior est alio, æternum esse nequit.

Respondent adversarii rem genitam et corruptam essentialiter supponere aliquid prius si sumantur divisive, non tamen collective; quia nempe singulæ corruptiones ac singulæ res genitæ singillatim sumptæ supponunt aliquid prius, non autem series integra rerum genitarum et corruptarum. At responsio hæc manifeste videtur falsa. Quia quod singulis membris collectionis alicujus essentielle est, removeri nequit a collectione, nisi ipsa collectio ad mutandum naturam singulorum concurrat. In præsentia autem materia collectio corruptorum entium efficere nihil potest, ut omnia et singula priusquam corruptantur, existere debeant.

Prob. 3.^o Si possibilis foret motus ac series generationum ab æterno, posset dari multitudo actu infinita. Atqui hæc, ut nunc supponimus, probabilius repugnat. Ergo...

Major probatur. Quia in ea hypothese possent esse infinite generationes hominum, ac proinde manerent, etiam ipsi morientibus, animæ tot, quot essent ipsi homines generati, nempe actu infinite. Item in singulis diebus vel circulationibus vel partibus motus posset Deus angelum creare, vel

(1) Suarez, de *Oper. sex. diez.* lib. 1, cap. 2, n. 14.

lapidem, vel aliud quodvis ens permanens. Collectio autem omnium foret actu infinita, utpote tot complexa angelos vel lapides etc., quot sunt dies, vel circulationes vel partes motus, quæ profecto finitæ nequeunt esse, si ipse motus ab æterno esse fingatur.

Dices, aliarum quidem rerum dari posse, non autem hominum generationes ab æterno.—**Verum hoc effugium** unice excogitatum est ad vitandam infinitam animarum multitudinem, ac proinde non solvit, sed magis patefacit vim argumenti facti. Quemadmodum enim bene notant Suarez (1), Pererius (2), Joannes a S. Thoma (3), alique si possibiles sunt generationes ab æterno, non minus possibiles sunt generationes hominum, quam aliarum rerum: nec minus infinite actu productæ erunt aliarum rerum formæ, quamvis actu non conserventur: immo vero si infinite actu producerentur, possent quoque saltem per miraculum conservari. Quare inconsequenter loquuntur, qui hominum ab æterno generationes negant, aliorum corporum concedunt (4). Et hæc sufficiant de re incerta nec sane maximi momenti. Qui plura cupiat, adeat pro hac secunda propositione Card. Toletum, aut Rhodes, aut Tongiorgium.

Quæ cum ita sint, dicendum videtur mundum quoad entia permanentia potuisse ab æterno creari, non vero quoad entia successiva, motus nempe, generationes ac tempus. Quamvis enim non defuit recentioribus temporibus, qui scriberet, si Deus potuit ab æterno mundum condere absque ullo motu, sive locali, sive augmentativo, sive generativo, *manifestum esse*, quod potuerit etiam condere cum motu; mihi certe id manifestum non est, nec manifestum fuit gravissimis aliis Doctoribus, quorum in hoc articulo secutus fui doctrinam. Optandum autem fuisset, quod præclarus ille scriptor id, quod manifestum esse dicitaverat, aliquo saltem argumento notum nobis redderet.

(1) De *oper. sex. diez.*, loc. cit. n. 10.

(2) De *communibus* etc. lib. 15, cap. 13, *Tertia propositio*.

(3) *Physic.*, quest. 24, art. 2.

(4) Alias absurdas veterum Philosophorum solutiones hujus argumenti vide apud S. Thom. lib. 2.^o *Contr. Gent.* cap. 38.

Objicies. Si Deus creasset ab æterno angelum, potuit jam tum elicere actum cognitionis vel amoris et unum actum post alium habere: quare daretur actuum successio. Item si potuit Deus creare lapidem, potuit etiam illum creare suspensum in aere, qui proinde descenderet natura sua in terram. Ergo haberetur jam motus ab æterno. Potuit item ab æterno ignis produci applicatus stuppæ, qui profecto combureret illam: et sic daretur ab æterno generatio. Similiter si lux ab æterno esset, ab æterno illuminaret. Et generatim in creatura æterna acciderent, vel certe possent accidere mutationes infinitæ, nam omne ens ab alio natura sua et intrinsece mutabile est. Ergo jam adesset infinita multitudo. Cum potissimum posset Deus pro numero possibilitum illarum mutationum angelum creare, vel quamlibet aliam substantiam permanentem. Ergo distinctio illa entium permanentium et successivorum, quorum priora possint, posteriora non possint ab æterno esse, vana prorsus est; siquidem ex permanentium creatione sequuntur incommoda eadem, quæ nos ipsi ursimus adversus creationem successivorum.

Respondeo creaturas permanentes, quæ ab æterno crearentur, non posse ullas operationes, quæ motum ac successionem involverent ab æterno elicere, nec posse ab æterno ullam seriem mutationum pati. Et ratio est, quia ostensum est seriem omnem æternam motumque ac successionem repugnare. Itaque illa entia remanerent per infinitam durationem sine actione et mutatione, quamvis activa naturaliter et mutabilia essent ab intrinseco. Operationes autem nullam motum ac successionem continentes, qualis est v. g. illuminatio, potuerunt ab æterno elici; ita tamen ut nec mutari possent nec desinere esse per æternitatem seu infinitam durationem. Et similiter potuisset Angelus ab æterno creatus; ab æterno etiam intelligere et amare, dummodo in illa operatione fixus et immutabilis perseveraret per æternitatem; nec posset seriem inchoare, nisi in tempore, nempe quando finita duratio initium habere posset. Cæterum, ut recte observat Eximius Doctor, hæc omnia ostendunt saltem a posteriori creationem æternam non esse consentaneam naturis etiam rerum permanentium, sive corruptibilium sive incorruptibilium, sed præternaturalem. Quia unaquæque res natura sua postulat existere

atque etiam fieri in ea mensura et in eo statu, in quo possit actiones suas exercere modo naturæ suæ accommodato. Res autem in æternitate factæ, pro ipsa æternitate nihil accommodatum sibi agere possent, vel certe non modo accommodato. Unde neque etiam postea ex se possent inchoare actionem et passionem: nam illa duratio infinita, pro qua necessario durarent in ipsa dispositione, in qua creatæ essent, non haberet certum terminum a parte post, sed ante quodlibet instans signatum posset finire, et ita etiam ante quodlibet instans signatum posset actio creaturæ inchoari. Ergo non possent ex se inchoare actionem determinando instans, pro quo esset inchoanda; sed hoc ad Deum pertineret: quod etiam præternaturale est. Nihilominus supposita creatione æterna, dicimus hæc omnia naturali necessitate sequi: quod vero res ab æterno creatæ in e) statu et conditione manerent, simpliciter impossibile vel repugnans non est. Id quod sufficit, ut æternam entium permanentium creationem non probari absurdam aut repugnantem sustineamus (1). Atque hæc omnia produunt aperte intellectus nostri tenuitatem, qui cum æternum et infinitum contemplatur, obruitur objecti magnitudine ac præstantia, ut nequeat sæpe intelligere, quomodo sit illud ipsum, quod enuntiandum esse judicat.

DISPUTATIO TERTIA.

DE CAUSA FINALI ET EXEMPLARI MUNDI.

85. Exclusa materiali causa, declaratisque causis efficienti ac formali mundi, gradus faciendus est ad finale et exemplarem: quamquam enim hæc possent ad Theologiam rejici, non incommode hic quoque tranctantur, suppositis quibusdam ex nobilissima illa disciplina, et alioquin ad materiæ complementum spectant.

(1) Vide Suarez (disp. *Metaph.*, 20, sect. 6, n. 17 et 18, et 21). Cfr. Rubius (*Physicor.*, lib. 8. cap. 2, quæst. 2 fin.), Suárez lusitan., (loc. cit., paragr. 12, n. 312 seqq.), Joan. a S. Thom., (loc. cit., art. 2, *Ad primum respondeo*).